



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

9. Magorum aduentus, adoratio & oblatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

CAP. 9. Aduentus Magorum, adoratio, & oblatio.

Matth. Cap. 2. * 7.

	S. Marcw.	S. Lucas.	S. Iohannes.
<p>CVM ergo natus esset Iesus in Beth-léhé Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Beth-léhém Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Beth-léhém terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populũ meũ Israël. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Beth-léhém, dixit, Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt, & ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsquedum veniens staret supra, vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. & prociðetes adorauerunt eũ, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurũ, thus, & myrrham. Et respõso accepto in somnis ne redirét ad Herodem, per aliã viam reuersi sunt in regionem suam. * 11.</p>			

CAP. 10.